

C A P V T III.

DOTES PHARMACOPOEI.

§. 23.

Multa sunt, quae pharmacopoeo incumbunt. Num recte faciunt, qui nobilem hanc artem, solidioribus doctrinis non instruti, sed eodem modo vt dulciarii, nitri coctores aliquique artifices opificesque artem tractant, exercere cupiunt? Nobis certe is tantum hoc nomen mereri videtur, qui physica corporum cognitione imbutus chemicisque dogmatibus edoctus vires corporum eorumque mutationes et actiones in se inuicem dignoscere didicit, inque immutandis praeparandisque corporibus naturalibus operam suam collocat, eaque ita apta reddit, vt a medicis praescripta et ordinata in aegrotantium salutem applicari possint remedia. Optandum itaque esset, vt illi, quibus ars pharmaceutica hodie demandatur, eodem modo vt aliarum scientiarum cultores, neque vero opificum more, ad addiscendam pharmaciam se applicarent inque exercenda hac arte, medicorum more, se gererent.

§. 24.

Inter plures, quas eruditи pertractant, scientias, corporum naturalium cognitio, eorumque mixtio et indoles eas largiuntur doctrinas, quas cognitas sibi reddere debet pharmacopoeus. Cum autem talis scientia absque logices, physices et chemiae doctrinis recte addisci nequeat, his ante omnia incumbat, necesse est. Logica namque ad cognitio-

tionem hanc recte acquirendam intellectum eiusdem informat; physica vero eum instruit, quae sint fundamenta, secundum quae ad mutationes corporum attendere debeat; chemia denique eundem docet, quomodo corpora recludi et mixtiones eorum intimae hinc indoles et vires erui exacte queant.

§. 25.

Generalioribus his disciplinis imbuto aliae specialiores, ex ipsa arte profluentes, prae reliquis addiscendae seduloque obseruandae sunt. Sic corporum simplicium, quae viribus salutaribus ditauit natura, historica cognitio ita acquirenda est, ut ea secundum notas bonitatis notissima ei sint, quo postmodum remedia, egregiis viribus donata, recte praeparari possint. Deinde eidem incumbit, ut sciat, quo tempore dicta corpora ad maturitatem perueniant, et viribus salutaribus nunc instructa reperiantur. Attendendum ei porro est, quae sint mutationes spontaneae, quae vires istas vel destruant vel ita mutent, ut nouae prorsus saepeque prioribus contrariae producantur. Tum quoque tenendum est, quomodo in mutanda corporum mixtione se gerere debeat, et quibus instrumentis vtendum sit. Tandem requiritur, ut sciat, quaenam sit productorum natura, quaeque eorum bonitatis habeantur notae.

§. 26.

Disciplinis his satis instructo et ad exercendam hanc artem se accingenti pharmacopoeo alia rursus incumbunt officia, quae, cum in recte praepa-

randis adornandisque remediis consistant, eo magis obseruanda sunt, quo plura damna ex male praeparatis remediis enascitura certo praeuidemus, vel enata haud raro esse, per tristem experientiam iam liquet. Inprimis negligentiam, festinationem lucrue cupiditatem semper fugiat, necesse est. Dici enim nequit, quantam saepe a re vel exigua alterationem patientur corpora simplicia, viribus egregiis alias instructa, quod illi omnino testantur, qui in chemicis operationibus diu multumque versati, omni cautione licet adhibita, experimentum saepe institutum aliquando tamen ob res peregrinas, casu accidentes, nunc non succedere, sciunt. Itaque attente et circumspicte operaciones instituere et producta rite examinare, pharmacopoeum decet. Plerumque autem egregia obtinentur remedia, si quando tantum temporis impendatur, quantum ipsa corporum mixtio, iam nunc mutanda et indoles eorundem requirere videntur. Sicut enim pruna aliique fructus ante maturitatis tempus dulcedinem suam perfecte non acquirunt, ita etiam remedia, arte pharmaceutica producta, vix vires istas acquirunt, nisi certum illud et ad quascunque operationes impendendum tempus patienter expectetur. Quodsi igitur ita se gesserit, optima quaeque sibi polliceri poterit remedia, quae optimam certe mercedem certissimaque nec unquam defutura foenerabunt laborum praemia.

§. 27.

Dotibus hactenus recensitis ornatus inque arte sua satis exercitatus pharmacopoeus, rationalis iure nunc vocandus, in emolumentum artis salutaris aliud denique officium conferre potest, quando de corrigendis remediis nouisque adeo inueniendis meditari annititur, inque iisdem vere elaborandis continuo omnem operam collocare studet. Cum enim talis vir a facienda medicina remotus prorsus esse omnemque vitam in praeparandis remediis consumere debeat, optimam ideo corporum naturalium indolem disquirendi eaque mutandi nanciscetur occasionem. Minime enim obiici hic potest et quaeri, vnde a praxi medica remotus pharmacopoeus de nouorum remediorum virtute medica certus esse possit? Sufficit certe, si ex indole particularum constituentium, accurate nunc disquisitarum et ex arctiori leuiorique earum cohaesione earundemque in motum nunc ductarum maiori minoriue euolutione indigitare sciat, quaenam materiae peregrinae, vel in corpore humano vel extra illud deprehendenda, mutationem (l) pati queant. Mutationem autem,

quam

- I) Effectus corporum in alia experimentis detegi, notum est. Quodsi nunc vires corporum medicatae explorandae sint, experimenta cum his et illis corporibus instituenda sunt, quae cum materiis morbificis corporis humani similitudinem quandam habent. E. g. viscidum, quod in corpore humano generatum et inductum causam morbificam sifit et diuersae indolis est, cum multis corporibus naturalibus, itidem viscidis, similitudinem habet, licet non negandum sit, et intra corpus humanum nouam speciem substantiae cuius-

quam materiae peregrinae in solidis aequa ac fluidis corporis humani partibus producunt, cognoscere hasque materias remouere, medici est.

§. 28.

Sponte itaque patet, necesse esse, ut pharmaco-poeus, qui corpus naturale quoad mixtionem, particularum indolem, harum euolutionem et euolutarum arteque pharmaceutica mutatarum motum, compertum satis habet, inuentum cum medico artem exercente, communicet, quippe qui corporum simplicium aequa ac arte pharmaceutica productorum efficaciam in corpus humanum inque substantias peregrinas, in eodem haerentes, optime per experientiam, solidis doctrinis stabilitam, discit. Cum enim medico, artem exercenti et de aegrotantium, complurium saepe, sanitate restituenda quotidie cogitanti, impossibile sit, omnia corpora, naturalia et arte producta, viribus salutaribus donata, quoad mixtionem, particularum vere agentium indolem et, quod maximum est, earundem euolutionem et motum, quo alia nunc corpora aggrediuntur, explorare, requiritur,

cuiusdam viscidæ produci posse. Interim inter substantias viscidas semper aliqua deprehenditur affinitas, ita, ut experimenta, cum hoc vel illo corpore viscido instituta, nos in antecessum iam instruant, quid ab hoc vel illo remedio, viscidam quandam substantiam extra corpus humanum resolvente, nunc in corpus humanum ingesto, experimentum sit. Cum autem viscidum morbosum tam infinititer variet, necessarium proinde videbitur, ut multiplicia instituantur experimenta, effectus substantiae seu remedii resoluentis annotentur, et resoluentia haecce remedia nunc a medicis tententur.

ritur, vt alius, qui in disquirendis corporibus, vi medicata instructis, vnice versatur, tale officium in se suscipiat, quidue cognoverit, medico communicet. Quocirca medicus plura corpora, in quorum exploratione dies, menses immo annos saepe impendit pharmacopoeus, intra paucas, vt ita dicam, horas quoad naturam, particularum indolem et motum earum plenarie comperta habebit atque ita aptus euadet, vt in detectas morborum causas nouis idoneisque instrumentis adornatus agere easque, his nondum detectis antea vix movendas, optime saepeque facillimo negotio debellare et ex corpore eliminare possit.

C A P V T IV.

LABORES PHARMACO-
POEI.

§. 29.

Licet pharmacia chemiae applicatae pars sit, ideoque labores pharmaceutici iidem esse videantur, qui in chemia in usu sunt; complures tamen obueniunt, qui, cum respectu corporis humani et in primis aegroti specialiorem considerationem postulent, in chemia vel non attenduntur, vel breuissimis tantum minusque sufficienter tanguntur. Hinc de iis pauca hic addere, operaे pretium est. Redeunt autem isti labores ad tria in primis momenta, quorum primum ad remedia simplicia, alterum ad remedia pharma-
ceu-